

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM







DIVITIARUM  
EVANGELICARUM

*Disquisitio LVII*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Salani

Rectore

*Respondente,*

DAVIDE BERTHOLDO SCHÜDERO

Francohusâ Tyrigetâ.

*Dominica XXVI. post Trinitatis.*

*A. O. R. cl. lbc. III.*



HALLIS SAXONUM

*Prelo Heredum Melchioris Oel-  
schlegelij*



TUTELÆ FAVORABILI  
VIRO RUM

*Admodum Reverendorum, Excel-  
lentissimorum, Clarissimorum, Am-  
plissimorum, Consultissimorum ac  
Præstantissimorum,*

Dn. CHRISTIANI WEBERI, SS.  
Theol. D. celeberrimi, Neoforensis apud  
Hallenses Ecclesiæ Antistitis vigilantis-  
simi, dignissimi.

Dn. M. JOHANNIS VOLCKMARI,  
Ministerii Hallensis, & ibidem ad B. Vir-  
ginis Archidiaconi senioris meritissimi.

Dn. CHRISTIANI WERNERI,  
Illustr. & Reverendiss. Archiepisc. Magd.  
Administratori à Secretis; itidemq; Le-  
gati eminentissimi, Hospitis olim sui be-  
nignissimi.

Dn. PETRI BEITHERI Archi-Epi-  
scopatus Magd. Secretarii, Salinatoriq;  
præcipui.

Dn. AUGUSTI BENZINI, Nota-  
rii judicialis ibidem Spectatissimi.

*Fautorum, Mæcenatum, Promotorum  
ac Benefactorū æ viterno honoris ac  
amoris jugo jugiter mactandorum  
hasce primitias disputatorias  
libare ac litare gestit*

RESPONDENS.





ANALYSIS  
**EVANGELII**  
 DOMINICA XXVI. POST  
 TRINITATIS.

*Matth. 25. à v. 21. usq. ad finem.*

ANTECANTAMENTUM.



*Saltes habet Psalm. 9, 9.*

*Paravit ad iudicium thronum  
 suum. iudicabit orbem terrarum  
 in equitate & populos in iustitia.*

*Id ut verisimū, etiam ex Ezech. 12. 23. ita etiā  
 quomodo sit iudicaturus declarat Evangelii  
 presens. De quo ait Augustinus: Si quis  
 de totā Scripturā sacrā nihil aliud sciret, sed  
 solummodo lectionem huius Evangelij, satis ha-  
 beret ad salutem; quia vita & mortis ratio ac  
 iudicij extremi conditio hic ob oculos nobis po-  
 nitur.*

Fff

THE-



## THESIS I.

*In eo verò occurrit tum judicis reverentis majestas quoad circumstantiam, ubi ejusdem præsentatio v. 31. In quo tum tempus, quoad prædicatum: cum autem venerit. Ubi particula AUTEM, non tantum est connexiva, sed etiam oppositiva, dum opponitur scandalo ex humili & contempta Messia specie, primo in adventu orto. Secundus adventus dicitur revelatio presentia, 2. Thessal. 2, 8. revelatio gloria, Tit. 2, 13. revelatio Christi, 1. Tim. 6, 14. ubi se omnibus iterum conspicendum exhibiturus Act. 1, 11. Apoc. 1, 7. Veniet ergo, sed tu, monet Augustinus hom. de ovibus c. 7. præveni antequam præveniaris: quia enim venturus est, certum est perdes si non desideras quod futurum est: Nam & te nolente venturus est. Num quid eum dilatatus es recusando, ne veniat? Sicut noverat horam qua judicari debuit; Sic novit & horam qua judicare debet. Veniet ille, tu vide qualis futurus sis.*

2. Subiectum: Filius hominis. Qui est Christus. Et se ita appellat ad exprimendam veram suam humanitatem, uti habet Tertul. l. de carne Christi propter vaticinorum firmitatem.



*mitatem*, Dan. 7, 12. uti ait Epiphanius  
 Hæresi 57. & propter carnis majestatem. Po-  
 testas siquidem faciendi judicij est ipsi in tem-  
 pore data Dan. 7. 13. Luc. 22. 69. Joh. 5, 2. &  
 propter ascensionis ad judicium conformi-  
 tatem ex Act. 1, 11. Non quasi neget se etiam  
 secundum divinam naturam judicium admi-  
 nistraturum, aut quasi non cæteris etiam per-  
 sonis competat, cum expressè testetur Scriptura  
 quod sit actio ad extra, Deut. 32, 36. El. 33. 22.  
 Patri tribuatur El. 4, 11. Spiritui Sancto; sed  
 quod Deo Patri καὶ ἀπολογιστοῦ, καὶ οἰκο-  
 νομίας competit Filio, cum visibiliter hoc ju-  
 dicium sit administraturus: ut pote qui est sa-  
 pientia Patris, quia visibilis propter carnem ex  
 dispensatione, quia ipse judicaturus. Unde Au-  
 gustin. serm. 54. de verbis Domini, *Judex*  
*hic erit filius hominis. Forma illa hic judica-*  
*bit qua judicatus est, sedebit iudex, qui stetit*  
*sub iudice; damnabit veros reos, qui factus est*  
*falsus reus. Quod & Prosper: habet in sent.*  
 August. 337.

3. Et modus in adventu, quoad ipsum:  
 in gloria sua sibi proptia: quamvis & externa  
 præcessura sit propter tonitrua & fulgura Ps.  
 50, Malach 4, 1. tamen potissimum illa ipsa  
 intelligitur, quæ est essentialis & secundum hu-



manam naturam communicata realiter propter personam unitatem Joh. 17. 5. Et quam in diebus carnis in miraculis suis, quam in transfiguratione Apostolis ostendit. Luc. 9, 32. Ut opponat humilitati & contemptui primi sui adventus, siquidem non in eâ humilitate rediturus. Unde Irenæus lib. 4. adversus Hæreses cap. 56. duos Christi adventus annunciant Propheta, unum quidem in quo homo in plaga factus est sciens imbecillitatem ferre, pullo asinae insidens &c. secundum autem in quo super nubes veniet, Chrysostr. hom. 80. in Matth. inquit: Crebrò gloria meminit, quoniam crucis tempus jam aderat, qua res maximo probro habebatur: Quocirca extollit auditorem ac erigit, & ante oculos ipsum iudicium ponit, & universum orbem coram se sistit.

4. Quoad comites: & omnes sancti angeli cum eo. Quia enim omnes homines tunc iudicio erunt sistendi, etiam omnes angeli venient cum ipso, tanquam Majestatis comites; ob complementum vaticiniorum ex v. 14. epist. Iudæ Dan. 7, 29. ob complementum typorum: nam & in monte Sinai in promulgatione legis erant angeli Act. 7, 56. & ad comprobendam majestatem 1. Petr. 3, 22. non au-  
Act.



sem quod in equali potestate aut gloria ;  
 siquidem quod habet Ambrosius lib.  
 3. de fide cap. 7. illi in obsequio , hic in  
 gloria ; illi in comitatu , iste in suggestu ;  
 illi stant, hic sedet ; hic iudicat, illi ministrant.  
 Etiam tanquam testes iudicii, uti & ipsi Apo-  
 stoli Matth. 19, 28. Et omnes sancti 1. Thess.  
 3, 13. Non quidem αυτοκρατορες κως, sed in  
 Christo capite suo Dan. 7, 14. tanquam assesso-  
 res Luc. 16, 19. Et fidei predicatores Matth.  
 12, 40. Perpendamus igitur , inquit August.  
 lib. de vanitate seculi , charissimi fratres,  
 quales erimus in die iudicii Dei & angelorum  
 presentandi.

5. In confesfu : tunc sedebit super se-  
 dem gloriae. Ubi particula TUNC non tantum  
 respicit verbum sedebit , sed etiam ad subse-  
 quentia verba, congregabit, separabit, &c. Pro-  
 positum enim fuit Christo, continua narratio-  
 nis serie totum iudicium universale actu de-  
 scribere. Per thronum gloriae vero iuxta usita-  
 tum Hebraismum intelligitur thronus glorio-  
 sus , qui partim invisibilis , videlicet dextra  
 Dei, ad quam secundum humanam naturam  
 euectus, Hebr. 1, 3. Hebr. 8, 1. Hebr. 12, 2.  
 Partim visibilis lucida nubes & maiestatis

E ff 3

plena



plena Luc. 21, 27. Matth. 24, 36. propter ascensionis & reversionis conformitatem: nam nube vectus in coelum Act. 1, 11. ad significandam divinam iudicis maiestatem Eph. 1, 21. ad temperandam adversus claritatem & transfigurationis antegressa sublimitatem Matth. 17, 51. Non quasi non & modo sederit super thronum gloria, cum omnia praesentissime gubernet, sed quia nondum omnia videmus ipsi subiecta Hebr. 2, 8. ut qui eum contempserunt in humilitate cognoscant in potestate. Ut discamus vereri tribunal Christi.

6. Quoad res ipsas est ante Christum omnium congregatio v. 32. In quo de hominibus quoad praedicatum respectu hominum: & congregabuntur. Ut qui antea dispersi per mortem, dum alij absorpti in mari, alii annihilati per ignem. Quicunq; ab initio, nati & mortui fuerint sive a bestiis devorati omnis simul in momento temporis, inquit August. de vanitate seculi cap. 3, comparebunt. Ita ut nullus poterint latere, addit Lyra.

7. Et respectu iudicis: ante eum. Id est ante Christum: quia ille iudicaturus est orbem terrarum, Ps. 9, 9. 1. Cor. 6, 2. Non ergo in vallem Josaphat ex Ioclis 3, 3. quia illa peribit; & quia licet maneret, omnes capere non posset.

Agi-



*Agitur enim illo in loco vel de iudicio gratia,  
vel de Christi passione.*

8. Quoad subjectum respectu iudicandorum: omnes gentes. Id est omnes omnino homines, cujuscunque fuerint conditionis & status, cujuscunque, etatis & sexus: quia ita expresse scriptura sacra asserit: non quidem equaliter, quia alij apparebunt ad iudicium condemnationis, in quod non venient p̄i Joh. 3. 18. Joh. 5, 24. Alii ad iudicium approbationis & liberationis: non ratione manifestationis peccatorum: Eorum enim Deus non vult recordari amplius Esa. 43, 25. Jer. 31, 34. & quia projecit ea post tergum Es. 38. 17. in profundum maris Mich. 7, 19. sed ratione publicationis sententiae & executionis. Unde dicitur etiam dies correctionis. Ut discamus temerè non iudicandum esse, dum omnes iudicandi sunt, Rom. 14, 12.

9. De Christo quoad effectum in genere; & separabit eos. Id est ordine disponet: uti Syrus reddidit, separabit unum ab uno. praecedit verò ἔθνη & sequitur αἰῶνες ubi est enallage generis in eos, respiciens sensū non vocabulum: uti etiam Matth. 28, 19. Ioh. 15, 26. Neq̄ tantum mentaliter & interiori, sed etiam localiter & exteriori separabit.

Eff 4

10. Et



10. Et in specie, quoad objectum: alteros ab alteris. *Sive invicem, ne amplius sint, uti antea fuerunt, mixti. Quemadmodum verò per sessionem in throno gloriae judicis majestas, & per congregationem omnium ejus auctoritas, ita per hanc separationem bonorum à malis ejusdem prudentia & dexteritas manifestatur. Novit hircos ab ovibus segregare, inquit Basil.*

11. Quoad modum: separabit eos sicut pastor oves ab hœdis. *Quae similitudo desumpta videtur ex Ezech. 34. 10. Et alibi aliis similitudinibus declaratur, ut ventilatione areae Matth. 13. 12. discretionem Zizaniorum à tritico Matt. 13. 30. piscium segregatione ibid. v. 48. Ut discamus separationis facilitatem: quemadmodum enim pastor hoc facillimè præstat: ita etiam Christus, ut qui pastor animarum Joh. 10, 12.*

12. Et judicis decernentis æquitas, cujus antecedens in factis est, & judicandorum collatio v. 33. In quo quoad pios: & statuit oves quidem à dextris suis. *Per separationem oves, id est bonos seu pios, qui comparantur ovibus, propter 1. obedientiam, dum audiunt vocem Christi pastoris sui, Joh. 10, 27. 2. propter vitam innocentiam, 3. propter patientiam*



*riam. Inde oves dicti sunt, qui salvantur propter mansuetudinem, quam didicerunt ab eo, qui dicit; discite à me, quia mitis: & propter quod usq; ad occisionem parati fuerint venire, imitantes Christum qui sicut ovis ad occisionem ductus est, ait Origenes hom. 34. in Matth. Mansuetam enim ac lenem atq; opem nobis ad amicum & tegumentum ferentem ovem habemus, ait Isidorus l. 1. Epist. 288. Ad dextram, quia dextra significat bonum in scripturis Eccles. 10, 2. & honorem.*

13. Quoad malos: hœdos autem à sinistris. *Id est impij & increduli, qui hœdis comparantur, tum ob peccatorum fœditatem, qua pessimè olent, & propter sterilitatem in bonis operibus, uti autor habet imperfecti operis. Ideoq; ad sinistram, quia illa ipsa est ignominie locus Proverb. 4, 27. 2. Cor. 6, 7. Ut discamus utriusq; statum perpetuum.*

14. In dictis, de piis, quorum vocatio, quæ est tum ad possessionem regni cœlestis citatio v. 34. In quo in genere tempore: Tunc. *Postquam iam congregaverat & separaverat simulq; malos ad sinistram, bonos ad dextram statuerat.*

15. Et eventus, cuius causa efficiens; dicit Rex. *Quia ad Regem pertinet iudicariam*



ciariam ferre sententiam; & quia tunc implebitur, quod habetur Apoc. 19. 11. ubi describitur regia ejus majestas & gloria. Et tunc non dicent Judaei, nolumus regnare hunc super nos Luc. 19. 14. sed omnes eum pro rege cognoscere, & coram eo sese humiliare cogentur. Ut discamus eum revera habere regnum aeternum gloria, quamvis sit regnum traditurus Patri gratia 1. Cor. 15. 24. Et quidem dicet, ut notemus non tantum esse mentale & interius judicium, sed etiam vocale & exterius, ut habet Dionysius Carthusianus in hunc locum *Visuri sunt & audituri.*

16. Et materia sive objectum: iis, qui à dextris sibi erunt. *Electos prius compellabit ut ostendat se proniorem esse ad recordandum & renumerandum benefacta piorum,* habet Origenes hom. 34. in Matth. Nam bona bonis secundum propositum suum praestat, quia bonus; & malis mala contra propositum suum facit invitus, quia iudex est; & quia electi ad dextram in loco nobiliore; simulque, ut intelligant impii, quantam felicitatem amiserint sua culpa, ait Bernhardus serm. 8. in Psalm. qui habitat.

17. In specie promulgatio sententiae, quoad antecedens habens amicam invitationem:

tionem:



tionem: Venite. *Quod est verbum adhortantis simul & accersentis, ut habetur Matth. 4, 19. Significatur igitur quod Christus iudex blandis verbis electos sit compellaturus. Et vocat eos ad sese, quia eos vult regni & gloria participes reddere juxta promissionem suam Joh. 12, 26. ita vocat sponsam in hortum suum Cant. 5, 1.*

18. Et blandam compellationem: benedicti Patris mei. *Quos ita vocat, ut eminentia benedictionis coram manifestetur, ait Origenes d. l. ut qui per fidem benedicti sunt cum Abrahamo, Gal. 3, 3 propter benedictum & dilectum filium, Eph. 1, 6. Maluit igitur dicere benedicti Patris mei, quia loquitur ut homo, per quem Pater statuit iudicare orbem terrarum Act. 17, 31. Joh. 5, 27.*

19. Consequens habet regni cœlestis traditionem; cuius modus: possidete regnum. *Id est qui regnum eratis & non regnabatis, venite & regnate; ut quod in spe eratis etiam in re esse possitis, habet August. Tract. 68. in Ioh. Non autem dicit: quarite regnum Dei, sed possidete, seu hereditate obtinete. Ut discamus quod electi vitam aeternam accipient non tanquam debitam operum suorum mercedem, sed tanquam paternam hereditatē iure ad-*  
opri.



*optionis Gal. 4, 7. quasi paternam, quasi vestram, ait Chrysoft. hom. 80. in Matth.*

20. Et status, secundum quem describitur: paratum vobis ab exordio mundi, *Per predestinationem, uti usurpatur Matth. 20, 23. Marc. 10, 40. 1. Cor. 2, 9. Hebr. 11, 16. hoc est ab aeterno, uti paraphrasis ita usurpatur in scriptura. Ut discamus gratis paratum esse. Vide igitur bonitatis excellentiam, inquit Chrysoft. hom. 34. in Genes. quanta erga genus humanum misericordia usus sit, ut ante iacta fundamenta mundi nobis regnum caelorum preparare dignatus sit.*

21. Et ratio, quæ est simpliciter necessariorum præstatio v. 35. In quo quoad vitium: esurivi enim & dedistis mihi edere, *Non adducit autem opera ista charitatis tanquam meritoria, sed tanquam externa indicia & testimonia, quibus pijs sese electos in hac vita demonstrarunt atq; vocationem suam firmarunt 2. Petr. 1, 10. Ideoq; vocula enim non est causalis, sed ratiocinativa ab effectu, ut Matth. 16, 2. 1. Cor. 10, 5. usurpatur. Id quod eluceat ex textus connexionem, dum 1. gratuitam patris caelestis misericordiam antea exposuerat. 2. ex ipsa beatorum confessione, dum fatentur se ex filiali obedientia, non verò intuitu mercedis*

*ca*



ea prestitisse; 3. ex operum bonorū conditione,  
 cum alias debeamus ea; demum 4. ex visibi-  
 li iudicis administratione, dum ostendit fidem  
 adfuisse veram & vivificam; & deniq; ex ne-  
 cessaria collectione cum charitatem presuppo-  
 nit ex 1. Cor. 13, 3. Paucis: adducit Christus  
 tanquam spei seminaria quedam charitatis  
 incentiva, occulta predestinationis indicia, fu-  
 tura felicitatis presagia, viam regni, non cau-  
 sam regnandi, ait Bernh. de gratiā & Lib.  
 Arbitr. Esurit verò in membris, ut in Lazaro;  
 & ita Deus parva poscit, maxima redditurus  
 inquit Chrysolog. serm. 9. Non dixit, esu-  
 rivit pauper, & dedistis ei manducare,  
 sed esurivi ego, & dedistis manducare mihi.  
 Ah quid agit amor pauperis? gloriatur in cœ-  
 lo Deus, unde pauper erubescit in terrâ & hoc  
 reputat in honorem sibi, quod pauperi compu-  
 tatur injuria, habet Chrysolog. serm. 14.  
 Ergo cibemus esurientes juxta monitū Es. 58, 7.  
 22. Et quoad potum: Sitivi & dedi-  
 stis mihi bibere. Dixisse suffecerat, dedistis  
 mihi potum, sed premittit sitivi, quia parvus  
 fuisset amor nisi & passiones pauperis suscepis-  
 set, habet Chrysol. serm. 14. Et si non alia ra-  
 tione, potu tamen aqua frigida Matth. 10, 2.  
 23. Quoad hospitium: hospes eram,  
 &



& collegistis me. Hoc est propter confessionem veritatis in exilio aberravi in membris meis, meque recepistis in vestras aedes, ostium aperuistis Jobi 31, 32. in domum vestram induxistis Es. 58, 7. & hospitalitatis non estis oblitus Hebr. 13, 2. Vides? habet Ambros. l. 2. Off. c. 19. Abraham Deum excepit hospitio, dum hospites querit. Qui seis antudū suscipis hospitem, suscipias Christum. Dico tibi, addit August. lib. 2. de visitatione infirmiorum c. 3. si ipsi gratum hospitium exhibueris, gratus tibi exhibebit hospitium suum. Ut discamus hospites excipere. 1. Petr. 4, 9. Charitatis enim officia consistunt in his eleemosynis.

24. Et in accidentalibus auxiliatio v. 36. In quo partim quoad amictum: nudus eram & operuistis me. Non bene eram vestitus, uti Jobus c. 22, 6. habet & Jacobus cap. 2. 15. Es. 58, 7. Quasi diceret habentes duas tunicas dedistis mihi unam Luc. 3, 11. Inde Chrysoit. hom. 58. in Joh. frater nudo corpore oberrat, tu vestes vestibus addis, quae tunicis consumuntur: at quanto satius foret ut illis egenorum corpora tegerentur, quae si hoc pacto consumerentur, illa te cura absolverent & futuram tibi vitam largirentur. Quod si non placet: consumptas tantum confer in pauperes



peres, qui rectè eas norunt excutere: etenim Christi corpus arca honorabilius est & securig. quippe quod non illas tantum custodit, sed pulchriores efficit. Arca nonnunquam cum vestibus direpta magno te afficit damno: qua pauperibus damus custodienda, neq; morte amittentur, neq; servis aut vestibus indigent, non servorum vigiliis, nulla huiusmodi cautione, omnibus insidiis libera sunt, & custodia reponuntur, ut credibile est, qua in caelis commendantur.

25. Quoad corporis statum, quoad morbum: infirmus etiam & visitastis me. Ut in Lazaro Luc. 16. 20. intrastis, ut Syrus habet: siquidem non visitatione & consolatione solummodo indigent; sed agrotationem evadere peroptant, ait Chryl. hom. 80. in Matt.

26. Quoad locum: in carcere eram: & venistis ad me. In membris scilicet meis, in Petro Act. 12, 4. in Paulo 2. Cor. 11, 23. in Apostolis Act. 4, 3. & aliis fidelibus Act. 8, 3. & venistis ut liberaretis Prov. 24, 3. Ut discamus opera charitatis externa & misericordia prestare, quorum hic sex numerantur, (alias vulgo septem corporalia, secundum versum Visito. Poto. Cibo. Redimo. Lego. Colligo. Condo.

Et



*Et totidem Spiritualia:*

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora;  
 opera recenset, quae maximè ad sustentationem  
 vitae sunt necessaria à quibus nemo se facile ex-  
 cusare potest, & ad quae relicta bonorum species  
 reduci possunt. Inde Euthymius in hunc locum  
 inquit: De sola charitate iudex differit, non  
 quod cætera vel iustorum opera vel peccatorum  
 delicta sine examinatione & discussione relin-  
 quenda sint, sed confirmare volens quod Deus  
 charitatem maximè requirat, & hanc præ  
 omnibus expetat utpotè Christianis maximè  
 necessariam.

27. Et declaratio, quoad piorum ex-  
 ceptionem de necessariis, ubi est victus  
 procuratio v. 37. In quo in genere: Tunc  
 respondebunt ei iusti, dicentes. Quos prius  
 vocaverat oves ob fructificationem in bonis o-  
 peribus, & benedictos ob electionem ad vitam  
 eternam, iam iustos vocat; tum imputativè  
 propter iustitiam Christi, tum inchoativè pro-  
 pter studium pietatis secundum vocationem  
 Rom. 8, 29. Eph. 1, 4. Dicent verò non dissi-  
 dentes de verbis Domini, sed vel stupentes præ  
 magnitudine maiestatis Regis, vel quia parum  
 videtur in his omne opus, quod fecerunt: ut que-  
 stio non sit ignorantia, sed admirationis, se-  
 cundum



eundem Lyram humiliantis causa, secundum Origenem dum dextra ipsorum nescit quia sinistra fecerit, Matth. 6, 3.

28. In specie quoad cibum: Domine quando te vidimus esurientem & pavimus? Dominum appellarunt, quia viderunt regiam iudicis maiestatem ex sessione super thronum gloriae; animadverterunt autoritatem ex omnium convenientium congregatione; audierunt sententia equitatem in regni caelestis traditione. Unde vocant Dominum non tam ore & verbis, quam animo & cordibus, non quod ignoret Christo prestitum quicquid suo nomine pauperulus prestitum, sed ex sincera humilitate. Ut discamus de operibus nostris non gloriari. Eundem autem ordinem observant in quaestione, quem Christus in propositione. Et primo quidem de cibo quaerunt, quia homo in vita presenti primum indiget corporis alimento sine quo non potest esse. At hoc alimentum duplex est, unum est calidum & siccum, & sic unum eius misericordiae opus est pascere esurientem.

29. De potu: aut sitientem, & dedimus tibi potum? Idem alterum est frigidum & humidum, habet Lyra, quo homo alimentum indiget, quod vocatur potus. Et sic secundum misericordiae opus est potare sitientem. Ut discamus vel maxime haec esse necessaria, nam sunt quotidiana.

Ggg

30. Et



30. Et amicus suppeditatio. v. 38. In quo præmittitur quoad hospitium: quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te? *Secundo*, inquit Lyra, *indiget homo aliquo sine, sine quo non potest ei esse bene, videlicet domicilio quo possit requiescere; & hoc est recipere hospitem.*

31. Quoad vestimentum: aut nudum, & cooperuimus te? *Indiget etiam indumento, & hoc est vestire nudum.*

32. De contingentibus & est visitatio v. 39. In quo quoad morbum: aut quando vidimus infirmum? *Sunt enim etiam opera misericordie, inquit Lyra, quæ impenduntur ex accidente aliquo superveniente, ut si aliquis incurrat in infirmitatem.*

33. Quoad supplicium: aut in carcere, & venimus ad te? *Quod etiam ex accidente est, ut quis capiatur ab hostibus; & hoc est visitare captivos. Ut discamus nihil tam commendare animam Christianam quam misericordiam, Ambros. lib. i. off. c. ii.*

34. Et quoad Christi sententiæ pronuntiationem applicatio v. 40. In quo est asseveratio: & respondens Rex, dicet eis: Amen dico vobis. *Utitur consueta asseveratione, ut dictorum suorum veritatem confirmet,*



met, & hanc sententiam magis magisque inculcet.

35. Et denotatio in genere: quatenus fecistis. Vel hac omnia enumerata, vel quaedam, vel similia, uti Syrus inquit, sic ut quotiescunq; reperatur.

36. In specie de objecto immediato, quoad numerum: uni. Nempè ad minimū. Multo ergo magis si pluribus. Ut nemo dubitet hoc nomine quod nō omnib; Christi membris satisfacere possit. Christus gratum habebit quicquid vel uni praestitum fuerit.

37. Quoad statum ex relatione: de his fratrib; meis, Ita pios vocat fratres suos nō solum ratione carnis, juxta quam ἐμωροί Heb. 2, 11. sed ratione spiritualis cognationis, quia pii per fidem sunt in filios Dei adoptati, Joh. 1, 12. omnis enim pauper est Christi frater quatenus pauper: quandoquidem & Christus in paupertate vixit, habet Theoph. in h. locū.

38. Et ex quantitate: minimis. Minimos hic dicit, habet Origenes hom. 34. in Matth. aut quia à mundo minimi estimantur, aut quia apud se ipsos minimi erant, ut ait Orig. hom. 34. in Matth. Non quod ipse eos pro minimis habeat, sed pro iis, qui non possunt retribuere, Luc. 14, 13.



39. De mediato : mihi fecistis. *Quia sunt fratres mei.* Notate verba, inquit Thomas de Kempis in hortulo rosarum cap. 17. num. 1. *signate mysteria, imitamini exempla.* Qui fratri indigenti subvenit, Jesum per manum retinet. Homo pascitur, & Deus reficitur, inquit Paschasius lib. 2. de Spiritu S. c. 4. Et cum hac ita sint, inquit Salvianus lib. 4. *Quid ais homo, qui te Christianum dicis, cum Christum egere vides, ut facultates tuas quibuscunq; non indigentibus relinquant? Christus pauper est, & tu opes divitum accumulās. Christus esurit, & tu delicias affluentibus parās. Christus etiam aquā sibi deesse queritur, & à te apotheca ebriosorū vino implentur, &c.* Et quid potius nobis debuit Christus dicere? *Quomodo magis potuit justitia & misericordia operam provocare, quàm quòd id prestari sibi dixit, quod egenti & pauperi prestatur? ut qui respectu fratris in Ecclesia non movetur, vel Christi contemplatione moveatur, & qui non cogitat in labore & egestate conservum, vel dominum cogitet in illo ipso, quem despicit, latitantem, habet Cyprianus de Eleemosynis.* Et August. serm. 50. de Tempore: *Christus accipit quod dedisti, ille accipit, qui tibi unde dares, dedit, ille accipit, qui in fine tibi seipsum dabit.*



40. De impiis, quorum est vocatio, ubi ipsorum condemnatio v. 41. In quo causa efficiens, quæ præmittit tempus: tunc. Hoc est, postquam Rex electos ac dilectos suos suavissimis verbis ad plenariam regni cælestis possessionem invitaverit. Prius enim pios, postmodum impios est allocuturus.

41. Et effectus in genere: dicet. Absolutè ponitur, nec additur quod Rex sit dicturus: quia non exhibebit se erga eos ut benevolunt Regem, sed ut severissimum iudicem. Tacuit antea, modo autem dicet; quia non semper tacebit, uti habetur Esa. 42, 14. Loquitur enim modo in præcepto, sed non tacebit in iudicio, habet August. hom. de ovibus c. 3.

42. In specie ratione objecti: & his, qui à sinistris erunt. Quia antea separati dicuntur, dū boni sunt à dextris; impii verò à sinistris, qui est locus ignominie. Qui enim per perversitatem vitæ seipsos separaverunt à dextris propter opera sua pessimè ceciderunt, id est, in tristitiam tormentorum damnati propter quod à sinistris consistunt, uti habet Hieronymus in hunc locum.

43. Quo ad modum, cuius antecedens est compellatio: discedite à me. Ut terminus à quo discessionis sit Christus, quasi qui non



sufferat praesentiam illorum vel aspicere, sic dicit, habet autor imperfecti operis hom. 54. tanquam à vera vite vos palmites infrugiferi. Joh. 15. 6. tanquam à rege gloria vos inobedientes subditi, Luc. 19. 14. tanquam à verà unicâ viâ Psalm. 26. 5. nunquam redituri, nunquam visuri me.

44. Et irata compellatio : maledicti. Non verò dicit : sitis maledicti, sed discedite maledicti. Ergò maledicti fuerunt, antequam ante tribunal Christi venerunt, qui eum apprehendere noluerunt, per quem potuissent esse benedicti: Nec addit maledicti patris, ait Origenes hom. 34. in Matth. nam benedictionis quidem administrator est pater, maledictionis autem unusquisque sibi est autor, qui maledictione digna est operatus.

45. Consequens habet & loci determinationem : in ignem æternum. Non enim contentus est iudex à facie suâ abjicere ; sed etiam in super eos in ignem infernalem ablegat. Inde August. lib. de vanitate Sec. c. 3. inquit : quasi diceret ecce justitia mea non potest aliter judicare, quam quod opera vestra elegerunt. Ergò quod ipsi elegeritis, tenete. Contempsistis lucem, possidete tenebras ; amastis mortem, ite in perditionem ; secuti estis diabolum,



ite cum illo in ignem aeternum. Ignis autem aeternus dicitur, ait August. lib. de natura boni c. 39. non sicut Deus aeternus, sed quia semel accensus nunquam exstinguetur, Matth. 3, 12. Marc. 9, 44. 46. 48. ratione cruciatuū, quos damnati ab eo in aeternum tolerare cogentur.

46. Et descriptionem tūm à præparatione: qui paratus est. Non à patre caelesti, quamvis iusto Dei iudicio etiam ab eo paratus dici possit, Esa. 30, 44. sed ob peccatum: supplicium enim ante peccatum non fuit.

47. Tum à Dæmoniorum associatione: Diabolo & angelis ejus. Quia quantum ad se, homines in perditionem seduxit, unde se coniungunt Diabolo peccantes: ut sicut qui salvantur sanctis Angelis coequantur, & sunt filii resurrectionis, sic qui pereunt Diaboli Angelis coequantur, habet Orig. hom. 34. in Matth. Irrevocabilis verò erit sententia, quæ à DEO multo antepredicitur, ut à nobis totis visceribus caveatur, ait August. serm. 38. de omnibus sanctis, & serm. 1. de animab. fidelium, ubi addit. Si enim Deus noster nos vellet punire, non nos ante tot secula commoneret. Iovitus ergò quodammodo vindicat qui quomodo evadere possimus, multò ante demonstrat.



48. Et accusatio, ubi eleemosynarum denegatio v. 42. In quo de victu quoad cibum: Esurivi enim, & non dedistis mihi cibum. Atq; ita opera reproborum erunt, & indicia infidelitatis, & una causa damnationis: est enim discrimen inter mala opera damnandorum, & inter bona opera salvandorum. Si ergo, inquit Augustin. serm. 38 de sanctis, & in lib. de vita christ. c. 4. in ignem aeternum mittetur, qui esurienti non dedit panem, ubi putas, mittendus est, qui tulit alienum? & quid passurus, addit ibidem, qui ipsum panem, qui de caelo descendit, sibi per infidelitatis vitium ademit?

49. Et quoad potum: sitivi, & non dedistis mihi potum. Etsi, habet August. de fide ad Petrum Diac. c. 45. in flammis perennibus exuretur, qui Christo in suis minimis sitiienti calicem aqua frigide non tribuit, quid ille patietur, qui renatus ex aqua & Spiritu S. sanctum baptismum in se iterare permittit, quem ad salutem semel & ad sacramentum sanctae regenerationis accepit? Nihil itaq; aliud impiis obijcietur quam misericordiae & benevolentiae neglectus, habet Prosper. lib. 2. de vocatione gentium c. 8.

50. Nec reliquorum Christianorum  
offi-



officiorum præstatio v. 43. In quo necessaria quoad domicilium: hospes eram & non collegistis. *Et si illum* habet August. de fide ad Petrum Diac. d. l. credimus subdendum esse perennibus tormentis, qui Christum in minimis suis peregrinū hospitii negligi excipere charitate: quid passurum se putaverit, qui Christū de domo sui cordis excludens, & Diabolum in se cæca prorsus infidelitate recipiens de sancta Ecclesia discesserit. Et, si cum Diabolo damnatur, qui hospitibus non præbuit domum suam, putas ubi mittendus est qui tulit alienam? habet idem August. serm. 38. de omnibus sanctis 8. serm. I. de animab. fidel.

51. Et quoad vestitum: Nudus & non operuistis me. Si ergo in ignem mittetur, qui nudum non vestit, ubi mittendus qui vestitum spoliavit? ait August. d. l.

52. Et accidentaria: infirmus & in carcere eram, & non visitastis me. *Et si ille*, habet August. d. l. qui infirmos atq; in carcere repositos famulos Christi non visitat, igni deputatur sempiterno; quid illis retribuendum dicimus, qui Dei famulos, in quibus solum persequuntur fidei veritatem, aut squalore carcerum, aut exiliorum deportatione affligunt? Rogo, addit Augustin. vos fratres charissimi,



hinc attendite, quam spem habere possint, qui mala faciunt, quando illi perituri sunt, qui bona non fecerunt? Et quidem talia, quae facillima. Et perpende, habet Chryf. in hunc loc. non unum aut duo, sed omnia illos contempnisse. Non enim solum esurientem non cibarunt, & nudo amiculum praeberunt, sed nec, quod facillimum erat, egrotum visitarunt. Ideoq; non juvare proximum est indicium impietatis.

53. Et declaratio, ubi occurrit eorundem quasi omnia facta essent, allegatio. v. 44. In quo tempus: tunc. Sicut enim in priore sententia parte post accusationem, sequitur excusatio, sic & hic.

54. Et effectus in genere: Respondent ei & ipsi. Nempe iudici, illi qui à sinistris erunt damnati. Idq; faciunt arguendi & contradicendi animo, uti habet Auter imperfecti oper. Non ex admiratione & humilitione, sed ex animi elatione & superbia conqueruntur de iniquitate sententiae, ut merito exclamet: *ô inavertibilis inobedientia peccatorum!*

55. In specie est compellatio: dicentes Domine. Quem ita appellant ex hypocrisis, ut Matth. 7, 29. aut ex timore servili. Unde Ambrosius praedicat. 2. praeeparat. ad Miss. ubi quid sum, Domine, inquit, nisi tu, qui iuste iudicas?

56. Et



56. Et interrogatio: quando Te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus tibi? *Considera*, inquit Origenes hom. 34. in Matth. *injusti non ire per singula; sed cursim eunt, quasi praecedentes & pratercuntes crimina singula, ut non necessarium sit enumerare singula; quia proprium malorum est culpas suas excusationis causa aut nullas velle ostendere, aut leves, aut paucas. Mali praeterea jactitant se fecisse suum officium, quum nullum fuerit ut plurimum.*

57. Et factae defensionis reprobatio v. 45. In quo efficiens causa: Tunc respondebit illis, dicens. *Nempè Christus. Sed quis sibi fidet cum audierit formidolosa & horrenda illa iudicis verba?* habet Chrylost. hom. 59. in Joh.

58. Et forma, cuius asseveratio: Amē. *Quia certum est Christo in membris suis opera misericordiae esse denegata.*

59. Et declaratio, quoad objectum: *Dico vobis. Impiis & immisericordibus. Dicit autem non ex gratia, verum ex ira.*

60. Quoad effectum: quod non fecistis uni de minimis his. *Ubi aquè repetit ea ver-*



ea verba, quæ justis dixit. Ideoq; magna impietatis est Christo in pauperibus non exhibere opera misericordie.

61. Consequens est sententiæ latæ conlummatio v. 46. In quo de damnatis: & ibunt in supplicium æternum. Prius nominat pœnam malorum, ut evitemus mala, ait Orig. hom. 34. in Matth. Voculaq; ET non tantum est vocula ordinis & temporis; verum etiam illativa. Quia supremus iudex reprobis ejusmodi sententiam immutabilem dictabit: Ideo ibunt in supplicium æternum. Ubi notandum quod ne quidem eos dignatus sit nomine. Ibunt autem non spontaneè, sed potius invite & coactè, uti verbum græcum innuit illud Luc. 8, 31. juxta interpretationem Christi etiam Matth. 13, 42. Id quod erit illis etiam, gravius aspectu felicitatis justorum remanentium, & faciet ad augmentum gaudii & felicitatis justorum, quod impios in supplicium abire videbunt, uti & illud colligitur ex Apoc. 20, 15.

62. Et de salvatis: Justi verò in vitam æternam. Justi nominantur, ut etiam Lazarus Luc. 16, 20. ut ostendat quod causa immediata & proxima salutis sit justitia fidei, seu Christi per fidem apprehensa. Et quidem justicium



cum voluptate magna abibunt I. Thefl. 4. 17.  
 Ubi vita nomine non intelligitur nuda viven-  
 tis existentia, qua communis, sed beatissima ac  
 felicissima viventis conditio, qua aeterna erit;  
 nam quis alius noster finis est, nisi pervenire ad  
 regnum, cuius non erit finis? habet August. de  
 Civ. Dei lib. ult. cap. ult.

NOTAE.

I. **C**ongregabuntur ante eum omnes  
 gentes) Considera ad iudicium  
 omnes vocatum iri; ut discas te parare.

II. **Q**uod uni ex minimis fecistis)  
 Considera Deum etiam estimare  
 opera misericordiae minimis exhibita; ut  
 discas eosdem juvare, si vis Deum amare.

III. **V**enite benedicti, discedite ma-  
 ledicti) Considera utrisque dari  
 praemia, sed illis ut veniant ad Deum, his  
 ut discedant; ut discas si inter illos esse ve-  
 lis, quo sis benedictus, qualis eris si fidem  
 per bona opera monstraveris.

CASUS.

An secundum acta & probata; An se-  
 cundum conscientiam suam iudex  
 judicare debeat?

Vide



**V**idetur posterius: 1. quia quicquid contra conscientiam edificat ad gehennam c. liber. X. de restit. spoli.

2. Quia tutius est animarum salutem respicere l. 43. in fine ff. de religios. & sumt. funerum Vasqui. illust. contr. 14.

3. Quia aliàs jus mendacis patrocinaretur, dum contra conscientiam quid fieri sciret.

4. Judicium ad propriam judicis conscientiam, hoc est, ut interpretatur, Corasius ad oculos refertur l. 7. §. fin. ff. fin. regend. l. 2. §. fin. ff. de feriis. Hinc iudices ex animi sententia estimare debent, quantum cuiusque testi credendum sit, l. 3. §. 1. & 2. in fin. ff. fini. regend. l. 13. in verbis: quod legibus omissum est, non omittetur religione judicantium ff. de testibus. Hotom. illustr. qq. 27. Coras. lib. 4. miscell. 20. Arumn. exercit. 6. in parergo, & exercit. 20. th. 3.

Videtur prius: 1. Quia hic Deus secundum acta, quæ recenset, judicat, Matt.



25, 33. descendit de caelo ut videat Gen.  
18, 21).

2. In jure canonico c. pastor. 28. §.  
quia verò. X. de officio delegat.

3. Quia expressè dicitur: *Judex id  
sequatur, quod convenit cum fide eorum,  
quæ probabuntur* l. 6. §. veritas. ff. de off.  
præsi.

4. Fieret simul testis & judex, quod  
fieri non debet, arg. l. ult. C. de fidei.  
commis.

5. Faceret litem suam, quod puni-  
tur l. 10. §. 3. ff. de edend. & à probatis  
recederet, Busius in lib. sing. de offic.  
jud. c. 4. n. 40.

6. Ambrosius in c. judicet. 3. q. 7.  
inquit: *Bonus judex juxta leges juraq;  
pronunciat, & nihil paratum sive medita-  
tum domum fert: Sed sicut audit judicat,  
& sicut se habet natura negotii decernit.*  
Covarruv. 1. Resol. 1. n. 6. Cujac lib. 12.  
observ. 12. enucl. Donell. lib. 26. c. 3.  
Clarus in pract. crim. q. 66. n. 2.

*Ad contraria: 1. Fall. cause: Non  
volu-*



volumus contra conscientiam quo iudicet, sed secundum conscientiam formatam tamen à jure, non à se. Si verò sciret, esse contra conscientiam probationem, tutius est, ut deleget alteri, ne sit testis & iudex, uti notant Doctores in c. 1. X. de officio ordinarii. Nicasius super tit. 22. de tutela n. 5.

Ad 2. Fall. iterum cause: Nam omnino & hoc volumus, sed ita tamen, ne negligatur jus: nam & hoc animam respicit, dum non est contra animam.

Ad 3. idem Elench. Nam iudex semper debet iudicare secundum acta et probata, nunquam contra veritatem & conscientiam Reincking. lib. 2. class. 2. q. 12. n. 13.

Ad 4. Itidem volumus ut arbitretur, sed ita tamen, ne secundum suum, sed secundum legum arbitrium. Interim simpliciter tenendum, nunquam eum condemnandum esse, quem revera novit, sive actione, sive accusatione iniquè pulsari. In dubio verò iudex secundum acta & probata iudicare debet Umnius dis. 15. n. 24.







AD RESPONDENTEM.

**M**agna futura piis sunt gaudia, quando  
daturus

Judex cunctorum gaudia magna piis.

Contra membra malis horrebunt, quando  
subibunt

Judicium summi judicis. Horror erit.

Venerit ac hominis quum filius, ille sedebit

In solio, comes ac angelus omnis erit.

Omnes convenient gentes, quas dividet, hædos

Ac ut oves pastor segregat ipse suas.

A dextris statuentur oves, quia dextera salvat;

Post locus est hædis jure sinister erit.

Mox dextris dicet: benedicti, queso, venite.

Patris ab aeterno regna parata dabo.

Esurii quando panem; sitiive dedistis

Et potum; lectum quando vel hospes eram.

Me nudum vestistis, me visistis & egrum;

Et venistis, ubi carcere clausus eram.

Sed dicent justi: te pavimus annè famentem?

An potum dedimus pressus ut ipse siti?

Hospitium quando dedimus Tibi? quando  
fuisti

Nudus, num data tunc vestis & ulla Tibi?

Vidimus infirmum Te quando? carcere clau-  
sum

Quando? vel ad te num venimus? euge re-  
fer.

Rex



Rex respondebit: Ne vobis talia dico:

Quae sunt facta meis fratribus, illa mihi.

Ad levam maledictis: cedit, dicet, in ignem

Aeternum, Satana quiq; paratus adest.

Esurii siquidem, tamen haut panis mihi frustra  
dedistis;

Et sitii, potus non data gutta mihi.

Hospitium nullum coepi, non nudus amictum;

Nil & opis captus quando, vel eger eram.

Tunc dicent: Te quando famere, sitire, carere

Vestibus, hospitio vidimus? omne datum.

Sed contra Christus dicet: Vos quatenus uni

Quae non fecistis, nec mihi facta reor.

Ac in supplicium damnati protinus ibunt,

In vitam iusti perpetuumq; decus.

Inter & hos concede locum mihi, maxime Jesu.

Sitq; salutatrix vox: benedicte veni!

Talia SCHUDERUS, repetit. Si pergit; Averni

Non horror levus, dexter olympus erit.

ita testatur & precatur

CHRISTIANUS GUEINZIUS

PRÆSES.

—  
Cum Salvatoris cernetur in aethere signum,

Horrebunt cuncti, quotquot hic orbis  
habet.

Tunc tremet & planget conatus spernere Chri-  
stum

Aut lacerare suis vulnera sancta labris.

Gau-



Gaudebit contra pius hic oculosq; levabit:  
Dum certam vitæ spem melioris habet.  
Hoc tractat modò dissertatio sacra SCHUDERI,  
Quod postrema dies sit metuenda nimis.  
Ipse SCHUDERE tibi precor ut sacra numinis  
aura

Hisce tuis cœptis vela secunda trahæ.  
Intrepido quò stes extremo tempore vultu  
Atq; locum dextra parte tenere queas.

ita SCHUDERO ad patrias virtutes  
stimulos admovet

CHRISTIANUS RÜDIGER  
Elricenf. Cheruscus Gymnas.  
Hall. Coll. Quartus.



### EPIGRAMMA.

**D**isputat ille probè, qui disputat, auspice  
Christo:

At malè differuit, quem Deus ater agit,  
Quales sunt homines mendaces atque no-  
varum

Rixarum autores hæreticû mque cohors:  
Qui dace cû Satana sistentur parte sinistra  
Judicis, hincq; mali præmiâ digna ferent.  
Non Tu talis eris SCHUDERE, in tempore  
ab istis

Temet sejungens dogmate, voce, lacris.

Per-



Perge facias posthac, ô mi, tractare tabellas,  
Et stabis dextrè Judicis ante thronum.

*uti ὀλοψύχως optat T. T.*

Christophorus Toppius Jun.  
Philos. & SS. Theol. Stud.

*Ornat. Resp. & Populari S.*

I.

Φρῶδα νημερτὲς πέλεται τ' ἀναρθεῖ  
Πάντα τ' ἐν κέσμα· Τὰ τεοῖσι πυκνά  
Τμήμασ' ἀνδάνεις καὶ ἄρα τρομῶδες  
πάντα φθερῶσι

Ἄλλὰ μὴ μόχθω ζαθέων τε δεκτὸν  
Τήξεται κῦδ' ὅ· Σε τῶ ἀντέχεσθαι  
Εγκονεῖν μῆχαρ παρὸν ἐμφανίσει  
Σπεῦδε καὶ ἔξαι!

II.

Sic Thuringiaca florescet gloria terra,  
Et sic Relligio meritos servabit honores  
Si tam virtutis fuerint præstatis Alumni,  
Qui fidei veteris, qui sint pietatis avita  
Relligiosè observantes, & se quoq; tentent  
Tollere humo, & latum volitare per ora  
virorum

*Affi-*




*Afflictamq; fidem, fessamq; iuvare Sionem.  
Hos inter numerand<sup>9</sup> ades cordate SCHU-  
DERE*

*Quippe tua solers acie indolis excolis altæ  
Verbi Nectarei trutinando lemmata doctè  
Perge! ac intrepidus studiis extendere no-  
men*

*Nitere: quo vivas fac terq; quaterq; beat<sup>9</sup>.  
sic primo sympalestrita sui  
tirocinio gratulabatur*

Joh. Melchior Starckloff  
Erfh. Thur.



**D**ie Blumgebererin Frau Flora ist nicht weichee  
Des schndde goldes prachte/das feid dem Purpur gleiches  
Sie streuet hin und her der Erden Sternen-glanz  
Mit einem bunten Rock bekleidet Sie sie gaanz.  
Dis aber nictes ist dem Fruling gleich zuschätzen  
Darcin der Himmels-Prinz was ewig wird versehen  
Wenn er auff blauen bau des Himmels kömmet rein  
Der bösen/auten that wird rechter richter seyn:  
Drumb dieses **SCHBDEH** auch (in dem Er uns gewiesen/  
Wer böse oder from soll werden dort gepriesen)  
Selbst Schauert böse werck/und schauet an das gut/  
Auf das nichte Er ersäufft werd von der Lethe flut.

Georg Christoph Dockhorn.

F I N I S.



02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



1017




EVANG.

CHRIST.

HALL.

Q2.C






Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



RUM  
CARUM  
LVII

DE  
GUEINZIO  
Salani  
*nte*

ALDO SCHUDERO  
Tyrigetâ.  
*post Trinitatis.*

*Ibc. III.*

CONUM  
*Melchioris Oel-*  
*ely*

